

ad bene interpretandum N. T. valere, quam
alios graecos libros omnes. In antiquitatibus
autem videndum est, ne eas alieno loco obtru-
damus scriptoribus diuinis, et inde exprima-
mus sensus alienos: tum ne fingamus ritus et
mores antiquos e verbis male intellectis, cuius
generis ipsius exempla in libellis Philologicis
reperiuntur; nec modo his, qui ad Nou. Test.
pertinent, sed etiam, qui ad ceteros scripto-
res graecos et latinos. Nam illud supra iam
monuimus, hanc omnem scientiam certam et
accuratam, hoc est, e fontibus ipsis recte du-
ctam esse debere. Hae literae leuiter tactae in-
eptos faciunt et nocent, penitus et accurate
perceptae modo prosunt.

III. Ne partem aliquam historiae veteris
praetermississe videamur, etiam philosophica at-
tingenda est, cuius in N. T. libris interpretandis
vsum proprio libello demonstrauit *Walchius*,
Theologus Ienensis Clar. Sed in hac re ma-
gna cautione opus est. Atque illud quidem
parum est, quod Stoicorum et Epicureorum
Atheniensium mentio est in Actis Apost. pro-
pter quem locum non est admodum necessa-
rium, dogmata vtriusque sectae nosse. Nec
philosophiam, quae a Paullo aliquot locis com-
in memoratur, huc pertinere, ante dictum est.
In epistolis Paullinis autem vestigia philosophiae
cuiusdam orientalis, e qua Gnostici hauserint,
deprehendi, sunt, qui existiment. Itaque ex